









1762.

1. Schleser, Iacobus Georgius : De officiis temporum & causarum  
civicae lites papillorum et minorum ex illustrissimis  
reformulis. Francofurtensis p. 7 f. 4. 58 et. 19.

1763.

2. Reg. Stephanus Ludovicus : Varietate libertatis splendens  
nubilum. I. R. I. iuris actionum corporis ad causa juris  
Dictionis postulatōrum extensionem civis

1764.

1. Baader, Iacobus Fredericus : Discretio iuris-juridici  
sistens observationes ex jure Romano Germanico  
ex exceptionem bellorum rerum nubilium potissimum  
pertinentes
2. Frateler, Iacobus Christopherus : Discretio iuris  
sue Romanis apud Germanicos in malis &  
bonis vicibus.
3. Schultz, Christianus Iacobus : De onere appellationis

F. Spidias, Georgius Christopherus Alberius : De causa  
Heronianorum nichtigen statuum interpretationis

S. Vitia Borg, Christopherus : De jure communis dabit  
aliquae differentes definitiones.

1766.

I. Ritter, Georgius Erasmus : De effectu hodiernis priuile  
giuum acer antiquioris

J. Middel, Charles Frederic : De jure in bello publico  
publicum, quo imperatores uictores I.R.T. uetus  
prosequi solent.

1767.

Ratkinus, Georgius Christopherus : De successione conjugorum  
Neversburg. fortificationis.

1768

Schaffer, Josephus, &c : De successione in hypothecam  
ex pacto cum debitoris isti.

1769.

1. Fauchet, Louis Mandot: De liberis ab aliisque parate et de nepotibus at eas et pateris et matris simul vacantes

2. Hartlieb, Iohannes David Friesian: d. separatione bonorum Congregationi occidente dicitur secundum statuta Monach.

1770.

1. Crol, Iohannes Iohann: de utilitate testamento  
nuncupatiori cum doctis nominatis secundum  
ijs Novum consili.

2. Orr, Iohanna Laurentia: De rebus alienis  
inter conjuges Nominatus communione  
coram isth. ref. Nov. fol. 28. l. 1 est 6

1771.

1. Lugenbein, Iohannes Daniel: De testamentis judicandi  
per reprehensionem ab actis confirmatio
2. Willius, Georgius Andrea: De sanchiorum Carolinie  
Ien auree bullae autographo Norimbergensi ejusq.  
lectionibus varior.

1773

1. Haffenus, Iohannes Bonitonus: Oratione de politia  
urbium academiarum saluti conservanda instituta  
quam rectoris munus auspiciatoris. lat. lat.
2. Rantz de Rantzau, Thedorem. Isidor: De praesay  
hinc foreni et canone I. & II. et cuncta pse.  
Scriptorum in obnoxia

1773.

3. Wiegeler, Anna Cornelia: De jure numerandi libe-  
rorum 1. & 2. circumscriptionem cum prima Norre-  
bergae

1774. 4. Schmid, Franciscus Neumann: De hypothecariorum  
legacione praerogationis

1774

1. Birckner, Paulus Tacitus: Larva atomaria verbantur  
De successione unitate ratione cum accidentibus  
ab abstracta

2. Finsler, Paulus Tacitus: De nominatis senatoriis  
Norimbergensis numeracionis. (Vt in Generibus  
Ius primi Rechts zu Nürnberg)

3. Lan, Lazarus Fridericus Paulinus: De abstracta  
territorialium in Germania







*Pac. Ciso*  
1766, 2  
Pub. 6. num. 66.

**CAROLI LVDOVICI MICHEL**

OETTINGENSIS  
IVRIVM CVLTORIS

COMMENTATIO

D E

**I V R E  
I N D I C E N D I  
L V C T V M P V B L I C V M**

Q V O

IMPERATOREM MORTVVM


S. R. I. ORDINES

PROSEQVI SOLENT.

---

*AL TORFII*

TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.  
A. O. R. MDCCCLXVI.




ERGONI TADICIS MICHELI  
S. C. L. V. N. G. N. S. 2.  
VITAM Q. A. T. O. T. I.  
COMMUNICATIO  
T. R. E. M. M. O. M. A. G.  
L. U. R. E  
I. N. D. I. C. E. N. D. I  
L. H. C. T. A. M. P. A. R. I. C. A. M

IMPERATORI MORTUUM  
S. R. I. ORDINES  
ROMAENSIS CITATI

ANASTASIA  
GEORGII BEYERI ACAD. ETIOEGR  
AGRI MAGDEBVRG.

V I R O  
SVMME REVERENDO AMPLISSIMO DOCTISSIMO  
**G E O R G I O**  
**ADAMO MICHEL**  
ECCLESiarvm OETTINGENSIVM  
LVtheri DOCTRINAM QVAE AMPLECTVNTVR  
SVPERINTENDENTI GENERALI  
CONSILIARIO ECCLESIASTICO  
ANTISTITI  
VT PIETATE SIC ERVDITIONE  
VT AETATE SIC MERITIS  
GRAVI  
**P A R E N T I**  
CARISSIMO HOC NOMINE DIGNISSIMO  
CVIVS CVRAE INSTITVTIONI CONSILIO  
QVANTVM SE HOMINVM AVXILIO  
FAS EST DEERE DEBET

SPECIMEN HOC  
SVORVM IN LITTERIS PROGRESSVVM  
QVORVM LAVS  
SI QVAM MERENTVR  
AD IPSVM  
FELICITATIS SVAE AMPLIFICATOREM  
SOLVM EST REFERENDA  
IN GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIVM  
CVM VOTO  
PROSPERITATIS SEMPITERNAE  
QVALETVDINIS FIRMISSIMAE  
LONGISSIMAE VITAE  
CAROLVS LUDOVICVS MICHEL.



A. Ω

---

I.

**N**on est profecto , quod dubitetis , Teutonicis  
ciues , quin in tanta tamque memorabili re-  
rum omnium mutatione , iam eam , quae a  
diuino Numine clementissime uobis data est , felicita-  
tem admirabundi praedicetis atque ideo de aetate uestra  
gloriemini , quod optimis auspiciis faustissimisque omni-  
bus nunc commodis uestris consulit Caesaram Augustis-  
simorum prudentissimus , regumque ac principum Euro-  
pae maximus , Iosephus II. pro cuius incolumentate ,  
qua deficiente beata uita cogitari nequit , imperiique  
perennitate , quo omnis salus ac securitas uestra con-  
tinetur ,

A 3

tinetur, uota Deo nuncupanda sunt animo magis, quam  
 uerbis complectenda. In quo laudabili negotio uestro  
 confiendo ne beneficiorum iam superiori tempore in  
 uos collatorum immemores sitis, eiusque obliuiscamini,  
 qui in turbulentissimis istis rerum Germanicarum con-  
 versionibus et perturbationibus patrem se praefitit cu-  
 stodemque patriae optimum, id est, Francisci, Impe-  
 ratoris quondam sapientis, magnanimi, felicis. Pio gra-  
 toque animo coli debet memoria maximi Principis hu-  
 ius, immortaliter de nobis meriti, qui quum opes ac  
 fortunae nostrae iam fere amissae, libertas, proprium  
 illud nobis ingeneratumque quasi bonum, perdita, salus  
 afflicta, omnia lapsa, commixta, euersa uiderentur,  
 pro ea, qua unus inter omnes mortales eminuit, pro-  
 uidentia effecit, ut cuncta haec essent recuperata at-  
 que aucta, tuita ac stabilita, seruata atque amplificata,  
 erecta, composita, restituta: et qui nulla re magis  
 ostendit paternum suum erga nos animum, quam quod,  
 a ui quadam coelesti quodammodo admonitus, de consti-  
 tuendo imperii successore, dum uiueret, prouiden-  
 tiissime cogitaret, optimo suique simillimo. Quid igitur  
 aequius, quid iustius, quid tantis tamque innumerabili-  
 bus beneficiis rite celebrandis aptius, quam si unus-  
 quisque Germanorum stirpe ortus ac bene de patria com-  
 muni sentiens in funestum illud fatum, quo cum incre-  
 dibili orbis terrarum luctu humanis rebus eruptus est  
 immortalis Franciscus, animum semper intendat, acer-  
 bisimumque doloris sensum non restinguat, qui iustissi-  
 mus semper maximeque ingenuus est, quum respublica  
 et capite et parente suo priuatur. Cui uero tam flebilis  
 mors illa improuisa, quam Musis, quae diuum Francis-  
 cum

cum non magis imperatorem quam litterarum statorem sumnum, aeternisque monumentis dignum uenerantur? Quae quum ita sint, occasione pietatis dandum esse aequi lectores censemus, quod mihi, specimen quoddam meorum in litteris progressuum edituro, de iure luctum publicum indicendi pro uirium mearum ratione agere uisum est: quae materia uel hanc ob causam non plane inutilis uidebitur, quia uariarum inter ordines imperii controuersiarum, quae nonnumquam ad manus atque ad pugnam ueniebant, fons erat uaria iuris huius interpretatio.

## II.

Quum in pertractando hoc, quod elegi, arguimento de eo praesertim sollicitus sim, cui et generatim in re publica quadam et nominatim in S. R. Imperio eiusue singulis territoriis ius, communem indicendi luctum, competit: superuacaneum et a proposito meo alienum esse arbitror, pristinos aliorum populorum mores respicere, ac de luctu publico eiusque signis, quae ad iusta principis soluenda referuntur, agere in uniuersum: siquidem his in rebus explicandis uarii iam iisque tam in historia, quam in antiquitatibus gentium politiorum exercitatiissimi uiri multum operae posuerunt. 1.) Eiusmodi instituta, si ad nostra praecipue tempora attendimus, nec eadem sunt, nec certis iisdemque legibus sunt praescripta. In Germania quidem ea fere consuetudo est, ut noua quavis occasione proximi casus ratio habeatur, iidemque, qui postremum seruati sunt, ritus seruentur, nisi rerum morumque mutatio ceremoniarum quoque uarietatem postulet. A luctu autem communi siue

sive publico aut populi , (gemeine und Land-Trauer) quem mihi prae caeteris ante oculos propono , probe fecernitur luctus priuatus (Cammer-Trauer) et palatinus . (Hof-Trauer) Differentiae huius fundamentum non nisi in lugentium discrimine positum est : qua ex causa etiam uarii gradus uestitus lugubris ac durationis luctus definiuntur . 2.) Magni uero res momenti et uestris praecipue studiis digna , egregii ceremoniarum magistri !

- 1.) Praeter IACOBI GUTHERRII libros III. de iure manum , seu de ritu , moribus et legibus priisci funeris in Tom. XII. thesauri Graeiani infertos et IOH. KIRCHMANNI de funeribus Romanorum lib. IIII. Francof. 1672. 8. hac de re consulendi uiri immortalis memoriae IVST. HENNING. BOEHMER in diss. de eo , quod iustum est circa luctum publicum ; Hal. Magd. 1709. et IOH. HEVMANN. de TEVTSCHENBRVNN in obseruationibus eruditissimis de imperatore mortuo ex annalibus et legibus conquistatis , quae in lucem prodiere Altdorf. 1741. 4.
- 2.) Vid. ill. FRID. CAROL. de MOSER deutches Hof-Recht , et in primis Tom. II. Lib. VIII. Cap. V. pag. 455. seqq. ubi de diuersis lugendi luctumque instituendi modis ex consuetudine , quam in uariis principum Germanorum aulis tenent , copiose agitur .

### III.

Quemadmodum hominum nasciturorum iura non in dubium uocanda sunt : ita mortuis quoque officia quaedam praestemus , necesse est , quae nec ulla fere gens mansuetior , cui officia necessitatis et humanitatis sancta ac sollemnia uisa sunt , umquam neglexit . 1.) Quid

Quid uero est maiori attentione ac sollicitudine dignum,  
quam exitus uitae eorum , quorum uita multorum salu-  
tem complectitur ? Quid magis affligere debet popu-  
lum , officii sui memorem , quam casus ille fatalis , quo  
ornamento suo et fulcro , parente ac principe orbatur ?  
2.) Quam ob rem ejus ac subiecti perfecto iure tenen-  
tur , non tantum de secundis , quae domino suo acci-  
dant , laetari , sed aduersa quoque , quae ipsi aut eius  
familiae impendeant , decenter moerere . 3.) Extero-  
rum principum eorumque aularum luctus decoro nititur  
officioque humanitatis , quod , simulac illis eiusmodi in-  
faustus euentus innotescit , numquam plane intermit-  
titur.

- 1.) Vid. CASP. ZIEGLERI diff. de eo , quod iustum est circa mor-  
tuos , Viteb. 1620. 4. quae extat in eiusdem disceptationum  
Volum. p. 415. sqq. GROTIUS , de iure belli et pacis , L. II.  
c. 19. ius sepulturae ex iure gentium voluntario proficiendi ar-  
bitratur , a quo dissentit CHR. THOMASIVS in iurispru-  
dentialia diuina L. III. c. 10. qui , quamvis mortuis ipsis iure na-  
turali quidpiam deberi neget , tamen inter uiuentes ratione  
mortuorum officia quaedam ualere concedit.
- 2.) Iustitiam iustus publici firmis atque exquisitis argumentis corro-  
borauit BOEHMER in diff. cit. §. XXXIII. Exempla ex historia  
Romanorum et Germanorum desumpta inuenies et in BOEHMERI  
et in HEVMANNI laudatis dissertationibus.
- 3.) Hic fortasse quaestio ponitur ab iis , qui multa curiose querere  
amant ; num uera nimirum aegritudo mandari possit ? Subtilis  
certe quaestio ! Quasi uero de internis officiis , nec solum de  
externis sermo esset , quae decorum , rationi haud contrarium ,  
tamquam ius principum personale , constituit atque induxit .  
Nihil igitur impedit , quo minus eiusmodi cultus , mortuo  
quoque principi debitus , iis , qui sub eius imperio aut in eius  
ditione ,

ditione fuerunt, praescribi atque imponi possit. Sed aliud quiddam ac singularis exempli est, id quod CAPITOLINVS in vita M. Antonii Philosophi commemorat. Tantus illius amor, inquit, die regii funeris claruit, ut nemo illum plangendum censuerit, certis omnibus, quod a Diis commodatus ad Deos rediisset. Quid est philosophari, si hoc non est? Funere profecto elatus est Antoninus philosophiae suae decoro, nostrae autem aetatis philosophiae cultoribus minus apto.

## III.

Ex quibus facilis negotio appareret, ordines S. R. Imperii iure perfecto se adstrictos putare ad summan aegritudinem communemque moestitiam, qua Imperatoris Augustissimi morte afficiuntur, publico ac sollemini cultu testificandam, 1.) quum, fin ipsis idem euenturum est fatum, eandem a sibi subiectis reverentiam postulare et expectare possint, quoniam luctus ille publicus ad personalia principis cuiusque iura referri solet. Interim S. R. Imperii ordinibus nulla lege imperatur, qua ratione aegritudinem suam ob imperatoris obitum extrinsecus significare debeant, sed quae signa quasue notas tristitiae et in aulis et in terris suis palam ostendere uelint, in eorum uoluntate positum est. Modum tamen lugendi quodammodo definiunt, tum ex ea, quae ipsis cum domo Augusta intercedit necessitudine, tum ex singulari quodam gratiam sibi conciliandi studio. 2.) Aliorum imperii principum memoria, nisi ab ipsis de luctu communi et populi iam cautum sit, ex uoluntate successoris rite celebratur. Quum igitur tam uariae sint eiusmodi ceremoniarum caussae, de conuenientia earumdem ratione modi ac temporis nihil certi in uniuersum afferri potest.

potest. 3.) Nonnulli ordines et praecipue S. R. I. ciuitates , mortuo imperatore p[re]c[er]tae cultum suum ac pietatem clarissimis documentis testari solent. Ad eas quoque , quas sibi tali occasione imperii principes ordinisue ex arbitrio suo domi constituant leges , dirigitur plerumque lugendi ratio in comitiis tam imperii quam circulorum seruanda.

1.) Vid. ill. MOSER im Staats-Recht , Tom. III. pag. 178.

2.) Idem c. l. pag. 190.

3.) Ad illustrandam autem meliusque diuidicandam hanc materiam  
haud parum interesi[et], si ex actis publicis consueti nouiori  
tempore legibusque definiti ritus colligerentur , ex quorum  
collectione haud difficulter ius quoddam ceremoniarum lugu-  
brium confici posset: plerique enim scriptores huc pertinentes  
nonni[us] priisci temporis ritus commemorant.

## V.

Mortem principis siue regis cuiusque alias Europae prin-  
cipes regesque cum mortuo cognatos , luctu uel priuato ,  
uel palatino prosequi , constat inter omnes . Quem tamen  
morem , qui saltem inter gentes , bene moratas , legis  
uim obtinuit , ne illi quidem principes plane negligunt ,  
qui nullo propinquitatis uinculo cum principe mortuo  
coniuneti sunt. Et quis autem est , cui non plane sin-  
gularis eaque arcta coniunctio nota sit , qua principes  
Europae inter se sociantur ? Quis est , qui non intelli-  
git , disciplinam aulicam tam religiose seruari , ut , quo  
minus et laeta et funesta aliorum fata honestentur , ne  
dissidia quidem et bella nondum confecta impedimento  
esse possint ? 1.) Quid igitur mirum , si ob imperatoris ,

B 2

fummi

summi inter reges Europae principis , e uita discessum dolorem capit maximum totus , quantus quantus est christianorum orbis . Nihil certe hoc iustius est , quum orbis christiani caput nominetur Imperator Romanus , quunque ex hoc quoque fundamento uaria ac singularia olim iura ipsi conuenirent . Ut nihil dicam de dignitate , qua omni tempore S. R. I. inuictae Teutonum nationi acquisitum , cuius sumimus moderator Imperatoris titulo condecoratur , caeteris regnis longe antecessit 3.).

- 1.) Evidenter post supremum Caroli VI. Imp. diem Galliae Rex , certior de eo factus , non statim quasdam ob difficultates ad lugendum se paravit , neque tamen ministris suis , aliis locis , ubi uestitus mutatus est , degentibus , ne idem facerent , interdixit , quin ipse tandem moeroris caussa in violacea ueste processit .
- 2.) In *Aurea Bulla C. II.* §. 2. et 3. dicitur Imperator *caput populi christiani* , et in *Recess. Spirens. a. 1529.* §. 1. nominatur *caput Christianitatis* .
- 3.) Vnde factum est superiori tempore , ut interdum exteri principes Imperatoris funeri interestent , aut in eius honorem monumenta quedam , quae castri doloris uocantur , exstruerent . cf. HEVMANN diss. cit. §. XI. Nostra aetate in aulis lugubria induuntur , et uel per litteras , uel per legatos dolor declaratur . Etiam Pontifex Romanus Imperatorem seu aduocatum suum deplorat . Capitula quaedam eidem Canonico suo , defensori ac patrono supremum pietatis officium praestant .

## VI.

Quae uero tandem sunt indicia illa , quibus , Imperatore rebus humanis exempto , luctum suum publice significant S. R. I. ordines ? Recensemus ea , prouti nostris

nostris temporibus maiorum exemplo usitata sunt. Tristi nuntio accepto campanae statu quodam tempore quotidie agitantur , omnis generis Musica tam in templis , 1.) quam in sollemnitatibus , uetatur , saltatio interdicitur , 2.) bombardarum sonitus prohibetur , nuptiarum celebritati modus adhibetur , primaria aedificiorum publicorum loca atris patinis conteguntur , et administratos tam superioris quam medii ordinis uestes mutare oportet. 3.) Inter praecipua luctus publici documenta referuntur praeter campanarum pulsuum orationes funebres , e suggestu habitae , aliaeque laudationes sollemnes. 4.) Tempus , quamdui moesticiae publicae indicia afferuntur , omnibus locis commune non est. Visstatissime hora undecima usque ad duodecimam , uel hora duodecima usque ad primam circa meridiem campanis luctus signum datur , quod quidem ab initio tantum per aliquot dies fieri solet , per reliquum autem tempus breuiori , quam horae spatio , eoque gradatim diminuto , absolvitur.

- 1.) *Musica nimirum* , ut loquuntur , instrumentalis et organica. Iuris interpretes hac de re ipsi non omnes inter se conueniunt et de quaestione : *num in templis lugere licet* , varie respondent . SCHILTERVS in *Instit. Iur. Can.* lib. II. Tit. I. §. 39. s. lit. a. not. nixus auctoritate c. quicunque 13 C. 26. q. 5. CARPOZIO in primis contradictrurus : *In republica Hebraeorum* , inquit , *ne quidem sacerdos lugebat* , *multo minus sanctuarium* ; *latus hominis non debet afficere aut minuere liturgiam sive cultum DEI* , *sed rem publicam et laetitas publicas* , *nisi ex sua natura* , *ut in memoriam passionis Dominicae*. CARPZ 2. def. eccl. 263. distinguist inter cultum internum et externum , quem excipit . Sed respondetur , *sublato externo minui solet internus* , *sublato medio exercitandi interni* : *qui minuit media* , *minuit finem*. Quod ad glorificationem nominis diuini institutum , non debet intermitte ob causam.

*secularem.* Quae argumenta refellere conatur BOEHMER in cit. diff. § XXXII. Quod si non ad usum communem , qui CARPOVII BOEHMERIque sententiam fulcit , sed ad rem ipsam eiusque rationes , nec ad illas , quae ex Canonico Iure pertinentur , studiose attendimus ; SCHILTERO , perspicacissimo legum interpreti , non possumus non suffragari . De Musica agentes , reliqua doloris signa in templis mittamus . Quis uero defendet , organorum usum interiore moestitiam impedire , quum id potius defendi possit , cantum imperitorum eumque ordinatum , si organis destituitur , omnem attentionem atque adeo animi cultum perturbare ? Et quid si omnia concedemus , quae nobis opponuntur , quin ipse odarum sacrarum cantus , aequae ac organorum cantus , ad cultum externum referendus , eo tempore intermittitur ? Quin carmina , quae ad modos numerosque musicos misere torquentur , ad excitandam maiorem pietatem aut cum silentio leguntur , aut a quodam praeleguntur , ne Musicae uestigium relinquantur ?

- 2.) Saltationes ciuium lugentium in territoriis alienis , lectu non affectis , licetiae an illicitae sint , disquirit BOEHMER cit. diff. §. XXXI. Quum boni ciuis non sit , fraudem facere legibus : nec a poenis liberi erunt , qui fallendi animo principis aut magistratus voluntati hac in re aduersantur .
- 3.) Quod generatim ad habitum lugubrem attinet , non immerito a principibus prouidetur , ne nimis magni sumtus in eum impendantur , quum ii et publicae rei et singulorum commodis obesse possint . Lectu atque imitatione omnino digna censemus ea , quae de Friderico Wilhelmo , Borussorum rege , eiusque institutis politicis , Rex Borussorum sapientissimus refert in libro , regio auctore dingo : *Memoires de Brandenbourg* inscripto : Les deuils avoient été autrefois ruineux pour les familles . On donnoit des festins aux enterremens , la pompe funebre etoit même couteuse . Toutes ces coutumes furent abolies . On ne drapa plus des maisons , ni les Carosses , on ne donna plus des livrées noires et depuis on mourut à fort bon marché .

tom

tom. II. p. m. 84. Quam maxime mirandum est, ciues interdum luxui ita deditos esse, ut si nostris temporibus magistratus publicae priuataeque utilitatis causa eiusmodi sumtuus inutiles minuere legibus uelint, de iniuria atque iniuitate iniuste conquerantur. O tempora! O mores!

- 4.) In S. R. I. ciuitatibus et laudationes funebres et conciones sacrae in honorem defunctorum Imperatoris habentur, quod interdum etiam in terris principum fieri solet. De priori uid. *Sansierung der von E. Hochdein Rath der Stadt Hamburg in Bürgern- und Kirchlichen auch Cammer-Handlungs und übrigen Postleitz- und Angelegenheiten und Geschäften aufgegangenen allgemeinen Mandaten* &c. &c. Tom. II. pag. 708. et III. p. 1484; (Hamburg. 1764, 8.) Norimbergae panegyricus Imperatori mortuo decernitur, qui olim et in urbe et in academia Altorfina habebatur. Nec insuetum, nec illaudabile est, principes nonnumquam adhuc uiuentes iusta sibi post mortem facienda praescribere, id quod fecit Fridericus Wilhelmus, Rex Borussiae, ex cuius litteris hic de re ad Principem suum hereditarium scriptis, quas exhibet laudatus MOSER, ea, quae sequuntur, notatu digna uisa sunt: 9. Dass mit keine Varentation gehalten wird. = = = 12. Soll vierteren Tag darauf in allen Kirchen meines Landes mit einer Leichen-Predigt gehalten werden, und das zwar über den Text: ich habe einen guten Kampf gekämpft, über welchen Text alsdenn des Wormittags gepredigt und das: Ged: wer nur den lieben Gott lässt walten ic. gesungen werden soll. Von meinem Leben und Wandel, auch factis und Personalien soll nicht ein Wort gedacht, dem Volk aber gesagt werden: dass ich als ein grosser und armer Sünder gestorben, der aber Gnade bey Gott und seinem Heylande gesucht. Überhaupt soll man mich in solcher Leich-Predigt zwar nicht verachten, aber auch nicht loben. Meinen Domestiquen sollen keine Trauers-Röcke gemacht werden, sondern nur Kürze auf den Huth, und ihre Montirung tragen, auch sonst keine fagon mit mir vorgenommen werden. Vid. des deutschen Hof-Rechts Tom. I. in aliunct; a. XXXV. p. 242.

VII.Pub.

## VII.

Publicarum rerum non plane ignari non nesciunt. S. R. I. principes atque ordines ad praestandam summo Imperatori fidem atque obsequium iureiurando esse adstricatos, ex quo sequitur, ut iidem, quod supra iam ostendimus, 1.) non humanitatis solum vinculo, sed iure etiam cogente ad luctum instituendum alligentur. Certum itaque est atque exploratum, eos, penes quos est summa unius cuiusque reipublicae potestas uel administratio, et ipsos lugere, et sibi subiectis ciuibusue suis luctum indicere ac praescribere, in quo, quod ad diuturnitatem spectat, non tam iuris Romani praecepta, 2.) quam quod proprii juris morisue est considerantur. Saepius autem accidit, ut ipsum illud, luctum publicum indicendi, ius, fons sit atque origo multarum eorumque inimicissimarum contentioneerum, quae huic pio sanctoque supremae pietatis officio parum conuenire uidentur. Rem in uniuersum, habita Germaniae ratione, contemplemur.

1.) Vid. §. IIII.

2.) Aut PAVLLI ICti praecriptum sentent. recept. lib. I. tit. 21.  
§. 13. in SCHVLTENII iurisprudentia ante Iustinianae,  
p. 264.

## VIII.

Plerumque uitae ciuilis magistros eorumque placentia in consilium aduocare solent, si iura principum generatim considerata in quaestione uersantur. Illorum effata

effata sequuntur plurimi in rebus publicis controuer-  
sis ; praecipue autem iuris publici uniuersalis sacerdo-  
tes oracula fundere iubentur , si de quadam eiusmodi  
iuris particula disceptatur , quae neque ex pacis ;  
neque ex legibus , quas fundamentales vocant , cogi-  
ac diiudicari potest. Interim res est ardua ac difficilis ,  
nec pauci sunt , qui caute hac de re decernendum esse  
arbitrentur . 1.) Quin nonnullis dubium uidetur , an  
hae , de quibus loquimur , regulae iuris publici uniuer-  
salis , quod etiam certa quadam ratione iuris gentium  
nomine appellari potest , 2.) ad iura atque obligationes  
S. R. I. principum ordinumue accommodari queant .  
Cuius quidem rei ueritatem studiosius exquirere ad in-  
stituti mei rationem non pertinet . Mihi enim hic afferre  
satis est , principes Germaniae pro hodierna S. R. I.  
forma terras suas non ex suo plane arbitrio regere , sed  
in gubernandis prouinciis praescripta legum imperii cum  
scriptarum , tum non scriptarum seruare , eos uero nihilo-  
minus eiusmodi habere in territorio potestatem , secun-  
dum quam res tam ecclesiasticas quam politicas , qua-  
tenus sine laesione publicarum sanctionum fieri possit ,  
administrant.

1.) Vid. IOH. GOTTL. GONNE orat , quae inscripta est : *Dica iu-  
ris publici uniuersalis , qua abusus huic disciplinae in iure pu-  
blico imperii Germanici ostenditur , refellitur . Erlang. 1752. 4.*

2.) De hac denominatione ill. IOH. STEPH. PVTTER , in elem.  
*iur. publici Germanici* , edit. nouiss. Goetting. 1760. prolegom.  
§. 1. not. II. agens : *publicorum autem iurium* , inquit , *et obli-  
gationum sistema formari potest ex iure naturali et sociali ad  
ideam ciuitatis applicato ; idque quatenus iura et obligationes  
republicae et imperantis tradit in statu reipublicae interno ,*

C

ius

ius publicum uniuersale , intuitu aliarum gentium , ius gentium  
vocatur.

3.) et I. I. MASCOVII princ. iur. publici Imp. R. G. Lib. VI.  
c. I. §. 2.

## VIII.

Si igitur ad quaestionem illam propositam : cui  
ius , luctum publicum indicendi , tribuendum sit ? ge-  
neratim et ex iure publico uniuersali respondendum est ,  
non alia profecto sententia ferri poterit , quam ut ei ,  
penes quem est suprema in territorio potestas , ius illud  
conueniat . Rei ipsius natura ita est comparata , ut de  
hoc iudicio nemo dubitare possit . Coligamus ea , quae  
supra de luctu indiciis proposuimus , I.) et , quid po-  
tissimum momenti eadem habeant , exquiramus . I.)  
Lugubria haec signa aequae late ac territorium principis  
ipsum pateant . II.) Actiones ciuium alias licitae , nec  
ullis alioquin legibus uictiae ad moerorem indicandum  
aut interdicantur , aut saltem limitibus circumscribantur .  
III.) Iisdem notis ad luctum spectantibus ordo ac decorum  
in re publica uniuersa obseruetur . Quis ex his non ui-  
det , eiusmodi instituta sine ulla controuersia ad poli-  
tiam 2.) pertinere , quae , ut totius uitae ciuilis magi-  
stra est , ita morum quoque moderatrix humanitatisque  
custos iure appellatur . 3.) His autem concessis , quis  
dubitat , quin supremus reipublicae moderator , qui  
unus sibi solus legum ferendarum potestatem vindicat ,  
iure hoc suo politiae prouideat , luctusque publici rati-  
ones definiat ? 4.)

4.) Vid. §. VI.

2.) Ni-

- 2.) Nimurum superiorem, quae quam potissimum praeter communem totius territorii felicitatem atque utilitatem, ordinis etiam ac honestatis regulas praescribat, ut et natura sua non nisi summis rerum publicarum rectoribus in terris suis assignatur. Mittamus uarias uariorum de juris politiae ambitu sententias, de quibus multa pro summa eruditione sua docuit ill, quondam IOH. HEVMANNVS de TEVTSCHENBRVN in *comm. de fontibus et oeconomia legum ciuilium*, sect. II. §. 2. et in *Initiis iuris Politiae Germanorum* (Norimb. 1757. 8.) cap. I. Praeclare etiam de iuris huius enodatione meritus est Cel. IOH. ANDR. HOFFMANN, qui im unmaßgeblichen Entwurf von dem Umsange, den Gegenständen, Einrichtungen, Einteilungen und Verordnungen etc. des Policii. Wesens role überhaupt im Deutschen Reich, also auch besonders in den Fürstlich Hessen-Eascellischen Landen; (Marb. 1765.) cap. I. §. 4. politiam accurate et definiti et distinxit descriptaque. Add. ill. GEORG. HENR. AYRERI comm. de S. R. principe politiam circa commercia et studia ciuium suorum adornante, (Goett. 1746., 4.) sect. I.
- 3.) Vid. ill. IOH. HENR. de IVSTI Grunds. der Policii Wissenchaft, (Goett. 1759.) §. 382. et HEVMANN, init. iur. polit. cap. VI. §. 38.
- 4.) Quod quam legibus effici soleat, factum est, ut nonnullis ius indicendi luctum publicum ex potestate legislatoria deriuari posse videretur. Exempli causa nominare possem GEORG. ADOLPH. CAROCIVM in *comm. acad. de his, quae a morte Caesaris iuris morisne publici sunt*, §. I, not. c. cf. I. H. BOEHMERVM, qui in cit. diff. §. 24. indicit autem luctum publicum, inquit, is, cui alias administratio suprema totius reipublicae cum imperio supremo competit, cum indicio haec normam et legem subditis interim praescribat, secundum quam agere debeant. Magis enim haec indicatio accedit ad legem, quam ad mandata, quippe quae itidem actum aliquem transitorium respiciunt, sed tamen simul diriguntur duntaxat ad certam personam: ast haec indicatio

indictio uniuersos omnesque subditos concernit, illisque legem praescribit, licet ad teneat aliquod spatum tantum usus eius esse exserat, sicuti buius generis plura, actus transitorios concernentia quoque deprehenduntur in Recess Imperii etc. etc. Sed ego ne cum aliis quidem hac de re magnopere pugnare uellem. Ratio sane a me allata, nisi omnia me fallunt, rei naturae magis conueniens esse uidetur.

## X.

Quod si igitur iuctus publici indictio, ut iam ostendimus, ad politiam eamque superioriem pertinet, cuius administratio non nisi ab eo, qui uniuersae ciuitati praest, suscipitur: nemo est, qui non intelligat, S. R. I. principes atque ordines iure suo sibi sumere, ut signa eiusmodi lugubria eatenus definiant ac praescribant, quoad suprema ipsis in territorio potestas concessa est. Omnia haec, inquies, tam uera sunt tamque clara, ut nihil supra. Quid autem saepius commodi inde nascitur? Ipsum id in territorio imperium eademque illa, quae S. R. I. ordinibus tribuitur potestas sibi tam dissimilis est, iuraque, quae illi formam quasi ac speciem dant, adeo sunt diuersa, ut minime mirandum sit, tantas tamque multas disceptationes ex re tam ambigua ac multiplici emanare. 1.) Non defuerunt quidem uiri legum pactiōnumque peritissimi, qui in euoluendis ac perscrutandis superioris in terra quavis imperii characteribus magnopere laborarunt: 2.) neque tamen hac sua opera, quantacumque est, quin dubitationi locus relinquatur, efficiere potuerunt. In eo autem, ut opinor, non possunt non consentire plerique, politiae procurationem certissimam

tissimam esse potestatis huius notam , praeferit quum superioris politici iuris usus reputetur. 3. )

1. ) Hinc tam multae tamque graues principum ordinumque querelae ; hinc innumerae fere atque ad supra imperii iudicia delatae caufiae , litesque pendentes ; hinc illae copiosae atque inde a remotissimis temporibus deductae iurium demonstraciones , quorum exempla si quis afferre uellet , quae paginae suficerent ! Patriae meae carissime praeceteris studiosus ad eas , quae ibi hanc in rem saepius disputata sunt , animum attendere satis esse censeo. Omnia vero huic pertinencia inuenies in Summe Reuerendi omniue , quae filium decet , pietate usque ad extremum spiritum prosequendi Parentis mei , quem Deus quam diutissime seruet ! GEORGII ADAMI MICHEL , Superintendentis Generalis ecclesiarum Lutheranarum Oettingensium etc. etc. libro , qui inscribitur : Oettingische Bibliothek zum Gebrauch seines Vaterlandes und Besitz der allgemeinen Historie der Gelehrsamkeit in Schwaben. Oettingen , 1758. und 1762. 8. 2. Theile.

2. ) Vid. qui caeteris huius argumenti scriptoribus palnam praeripuit , IOH. HEVMANNI de TEVTSCHENBRVNN diff. de characteribus superioritatis territorialis caute designandis. Altorf. 1749.

3. ) Non itaque politiae inferioris , cuius etiam Landsassii et ciuitates nonnullae municipales participes esse possunt. cf. laudatus HEVMANNVS in Initio Iur. P. §. XXXVIII. et seq.

## XI.

Supra nos annotare meminimus , 1. ) cum iis nobis non intercedere controuersiam , qui ius , de quo disceptatur , aut in uniuersum ex supra in terris potestate , 2. ) aut sigillatim ex parte illius , leges nimirum

mirum communes rogandi iure , 3.) deruent . Politiam autem superiorem , ad quam nos quidem respicimus , eiusdem summae potestatis partem esse , quis nescit ? Quumque luctus publicus non tam inductione illius , quam prescriptione rituum quorundam , atque indiciorum , temporisque designatione nitatur ; intellectu facilissimum est , si studiose iuris illius rationem inuestigemus , id non nisi ex superiori politiae propaciendi potestate apte ac legitime posse deduci . Qua ratione re considerata eorum sententia concidat necesse est , qui , quoniam ad quaedam tantum luctus maioris signa , seorsim mentem adhibuerunt , omne hoc negotium ad iurisdictionem particularem pertinere arbitrati sunt . Sed repugnat continuus rerum in Germania usus notissimus , qui nulla alia , nisi superioris in territoriis potestatis aut iuris politici ratione nititur , de qua antea satis superque diximus . Nec contra illos multis pugnare opus est , qui ius , saltationes ad tempus prohibendi ex Vogteia superiori deriuandum esse contendunt , 4.) quum saltationis interdicta , de quibus quaerimus , luctum publicum respiciant , quem nemo , nisi qui supremo terrarum imperio praeditus sit , rite ac legitime definire possit . Si cui forte hac occasione querere liberet , num certis quibusdam corporibus aut uniuersitatibus hominum 5.) sine auctoritate publica sponte sumto luctu publice lugere licitum sit , nae ille paeclarra sua sapientia ostenderet , se , quid momenti atque auctoritatis habeant politicae in terra quadam constitutiones , non intelligere .

1.) Vid . § . VIII .

2.) Inter alios ita hac de re iudicarunt IAC . BERNHARD . MVLZ ,  
in representatione maiest . imperat . P . III . c . 16 . § . I . n . 2 . 15 .  
16 . 17 .

16. 17. IOH IAC. MOSER. Im Grundriss der heutigen Staatsverfassung des deutschen Reichs, L. III, cap. 20. §. 2. Quibus etiam suffragatur Excellentissimus ac de causis publicis priuatisque longe meritissimus auctor der Geschichte und Rechte der Landeshoheit und der ohnvertrenlich dorthin verbundenen Erb-Schutz und Erb-Kasten-Vogteyischen Obrigkeit und Herrschaft über die in den Reichs-Grafschafts-Dettingen-Bollerstein gelegene Reichs-Vogtey Neresheim auf dem Herrfeld. Beßlar, 1755. fol. Ex iisdem quoque principiis iudicavit celestissimum iudicium imperiale aulicum in causa Hessen contra Teutschordens apud ill. de CRAMER in obs. iur. uniuers. Vol. I, pag. 660.

3.) Vid. §. VIII, not. 4, ibique laudati auctores.

4.) Vid. MVLTZ, c. I, §. 4. n. 51, seq. ubi, et certe, inquit, usus chorearum per se innocens est, ideoque ad ceremonialia eorum permisso vel prohibito simpliciter non est referenda, neque infirmum aut usitatum est, talia sub pena uitiae et nevis prohibere, ne alias omnia etiam leuissima delicta in capitalia possent transmutari. Sed suspenso chorearum est particula Vogteiae et quidem superioris, et pertinet ad eum, qui alias ius edita affigendi, prohibendi et permittendi habet, estque regulariter portio dominii in pago, der Dorfherrschaft.

5.) Iis nimurum, quae, ut Academiae, sub speciali imperatoris tutela, sive, ut vocant, mundiburdio sunt. Quod quidem non recondita quadam ratione cernitur, sed est in promptu. Eiusmodi corpora, nisi valde erramus, nondum immediatorum nomine enixerunt, ideoque eorum officium est, superiorum mandata rite exspectare ac modeste sequi.

## XII.

Quid uero? Nullamne plane territoriorum variorum mentionem facis? An terras uel puras uel mixtas esse

esse nescis? Evidem scio. Quid ergo, si de luctu publico in terris mixtis instituendo quaeritur, iudicandum est? Res est scilicet ualde difficultis! Si quid tamen uideo, ad ea, quae interrogas, ex prioribus ipse tibi respondere poteris. Interim perspicuitatis cauſa repetamus non nulla. Ante omnia diquirendum est, penes quem summa sit uniuersi territorii potestas. Qua re cognita, quin omnia clara sint ac perspicua, quis dubitabit? Ad illum enim supremum rei publicae rectorem, non ad eum, qui minorem tantum iurisdictionis partculam tenet, superioris politiae iura pertinent. Ad illum igitur luctus quoque publici indicendi potestas defteratur necesse est. Nec subest cauſa, cur is, qui particularē, ut aiunt, iurisdictionem habet, \*) a communi iuri regula recedere atque in rebus ad uniuersum territorium spectantibus tantum sibi arrogare possit, ut ordinem, decorum ac iura uiolet atque euertat.

\*) Simile quid in quaestione fuisse uidetur eo tempore, quo post mortem Imperatoris Francisci in terris Oettingenibus ob campanarum usum inter Serenissimum Principem Oettingensem, et magna ordine Teutonicum in partibus Franconiae, qui in quibusdam sui patronatus templis, in pagis nimivm Bethein, Zippelingen, Sonneheim, Nordhausen und Sechshaussen sitis, statu tempore campanis luctus signum dare permittere noluit, tanta lis tantaque discordia concitata est, ut tandem armis causa defendetur. Ne patriae amore inductus partium studio abripi uidear, scriptum quoddam publicum, hac occasione editum, in quo pro iuribus Oettingenibus propugnatum est, nominare, quam sententiam ferre praestabit. Vid. Altenmägige Fatti species der von des Mitterlichen Deutschen Ordens Herren Land-Commentihuren der Baden Franken, Freyherrn von Echbach wider des Herren Kurfürst zu Oettingen Hochfürstl. Durchlaucht in die Oettingische Lande unternommenen Landfriedbrüchen. Invasion und andern Thätilkeiten, mit Beylegen von num. 1. bis 13. Oettingen. 1765, in fol.

XIII. Sed

## XIII.

Sed quotidianum campanarum signum in praecipuis luctus publici , post imperatoris mortem instituendi , indicis numeratur . Campanarum nomine , quae eo tempore , quo sumera sollemnia efferuntur , agitari solent ac debent , non ea intelligimus tintinnabula , quae in aliis aedificiis publicis inueniuntur , aliisque negotiis et actibus indicandis inseruiunt , sed eas animo comprehendimus campanas , quae in templis territorii cuiusdam reperiuntur , in templis nimirum , quorum iura in S. R. I. pro diuersitate externi cultus , qui in iisdem Deo adhibetur , diuersa sunt . Res nota et manifesta omnibus , ius facrorum , quod principibus , praesertim Romanae ecclesiae addictis , tribui posset , ita esse circumscriptum , illud fere non nisi in munere quodam , ecclesias protegendi , consistat . Hinc quaestio non plane inutilis atque a re aliena uideri potest : numue ad luctum publicum pertinens atque hac occasione introductus campanarum usus in ecclesiis saltem catholicis , non habita religionis principis ratione , ad iura episcopalia referendus sit ? Ad quam tamen quaestionem , quantum ego iudicare possum , ita omnino respondendum est , ut non episcopo , sed principi ius illud adscribendum esse ostendatur .  
 I.) Ante omnia finem huius signi , quod campanis datur , accurati perpendamus . Is uero , id quod facile patet , non ille tantummodo est , ut luctus in prouincia omni indicetur , sed ille etiam , ut moeror publico hoc documento demonstretur . I.) Non igitur huius uel illius coetus homines ad pietatem Imperatori debitam signo hoc excitentur ; sed omnes ac singuli , cuiuscumque sint conditionis aut sectae , eodem teneantur . Non , ut in sacris , dissimilitudo quaedam cultus externi appa-

D

reat ,

reat, sed, sit in institutis politicis, compositio et consensus hac occasione constet. Ex quibus omnibus euident et perspicuum est, campanarum agitationem non ab episcopo, qui sui tantum coetus res sacras administrat, sed a domino territorii, cui omnes utriusque religioni adscripti ciues in rebus praesertim mere politicis parere debent, institui posse. II.) Hoc, de quo loquimur, signum externum est indicium luctus, quod aequae ac laetitiae testificationes publicae ad politica instituta referendum est, quorum naturam neque locus, ubi exercentur, neque eorum destinata conditio immutare potest. Quemadmodum autem in templis perulgantur ea, quae a principe iubentur, ideo quod ibidem maxima est hominum celebritas: ita ad luctum publicum indicendum et ad moerorem demonstrandum campanis utitur princeps, quod nullum aptius remedium ad luctum omnibus significandum adhiberi posse arbitratur. III.) Quicunque iura episcopalia 2.) nouit, hic perspiciat necesse est, eiusmodi politicas constitutiones in iisdem neque contineri, neque ex iisdem directa via posse deduci. Accidit interdum, ut episcopus simul sit terrae dominus, quo in casu nullus est quaerendi locus. Sed quaestionem contrariam ponimus, atque optimo iure defendimus, in iis, quae ad iura territorialia, eaque, nostra quidem sententia, politica pertinent, neutiquam ab episcopo, penes quem non est principatus, multo minus a patrono quodam ecclesiae, 3.) cui ne iura quidem episcopalia attribuuntur, quidquam parari aut variari posse. Quodsi IIII.) omne ius in templo, quae in territorio principis sita sunt, ei denegatur, nimium profecto, ideoque nihil probatur. Vix denique V.) operae pretium esse censemus, (est enim in promtu) ea  
hic

hic a principum saecularium iuribus secernere, quae ex sententia Romanae ecclesiae episcoporum curae solummodo uidentur commissa: ad quae referri potest cultus ille religiosus, quo et publicis precibus et sacris funeribus, quae exsequiae uocantur, defuncti anima Deo commendatur. 4.) Vtrum uero eiusmodi ritus ad luctum publicum significandum, an potius ad sollemniores coetus Romani ceremonias pertineant, aliorum disquisitioni relinquamus. Exsequiarum, ut scimus, etiam tum locus est, quem luctus publicus ne cogitari quidem potest. Caeterum fieri interdum solet, (id quod nouissimo exemplo confirmare possemus) ut episcopi cum magistratu ciuiili consilia conferant, ne decorum in tanto honestatis ac pietatis negotio laedatur, sed ut, qui diuersus aliquin uidetur, iurium usus eo magis inter se conspiret.

1.) Campanarum usum a supremo principe et capite reipublicae, eiusque arbitrio ac potestate, tempore praesertim luctus publici dependere firmis argumentis comprobauit IOH. FRID. LVDOVICI in diss. de eo, quod ipsum est circa campanas, Cap. II. §. 3, 4, et 6.

2.) Vid. ill. GEORG. LVD. BOEHMER. in principiis iuris canonici, speciatim iuris ecclesiastici, publici et priuati, quod per Germaniam obtinet. (Goett. 1762. 8.) Lib. II. sect. I. tit. V.

3.) Vid. I. H. BOEHMER saepius cit. diss. §. 29. et LVDOVICI cit. diss. Cap. II. §. 7. seqq.

4.) Ideoque edita promulgant episcopi etiam, quibus ad sacra illa facienda adhortantur clericos sibi subiectos. In cuius rei exemplum afferamus editum Episcopi Augstanti, post mortem Augstantissimi Imperatoris Francisci publicationem, in quo, si campanarum usum exceperis, omnia ecclesiastici iuris esse fatemur. Ipsum uero editum ita se habet:

Nos Iosephus, Duci et Apostolicas Sedis Gratia Episcopus Augstantanus, S.R. I. Princeps, Landgrauus Hassiae, Princeps Hirschfeldensis, Comes Catinellogi, Diez, Ziegenheim, Nidda, Schaumburg, Isenburg et Buedingen, Abbas Exemptus S. Helene in Fildvar in Hungaria etc., Eques Ordinis St. Huberti etc. etc. Universitas ac singulis Abbatibus, Praepositis, Decanis, Archi-Diacons, Prioribus-Decanis Ruralibus Parochialiumque Ecclesiastiarum Rectoribus, Plebanis seu vice-Plebanis, caeterisque Presbyteris per ciuitatem et Dioecesin nostram Augstantanam ubilibet constitutis, Salutem in Domino sempiternam. Vt opus uere pium et sanctum; ita etiam saluberrimum ac ab Apostolis ad nos usque in Ecclesia Dei derivatum est, ut inter Sacra et tremenda Mysteria Missae Agnum immaculatum ac totius Mundi peccata tollentem pro defunctis offeramus, et pro animarum Salute preces quantum possumus, deuotus in conspectu Altissimi effundamus. Unde cum imperi Inuictissimus et Potentissimus arque Catholicus Princeps Franciscus I. Romanorum, dum uiue-

et Imperator semper Augustus, Germaniae et Ierozolymorum Rex, Dux Lotharingie et Barri, Magnus Heraclius Dux, etc., etc. Deo sic disponente die 17a Mensis Augus*t*ii ex hac luce migrauerit. Nos, sicuti eiusmodi obitum summe luctuosum ex animo miseriati non potuimus tum Nostro, tum totius Reipublicae et christiana*e* nomine non ingenti mo<sup>r</sup>ore affici, atq*ue* eum bonis omnia*bus*, et uerae pietatis secatoribus communem luctum intimes sensibus experiri. Ita nostri munera ex christiana*e* pietatis et charitatis praescriptio proprium esse duximus, ut memoriam tanti ac Potentissimi Principis, atque Ecclesiae Catholicae, domiu<sup>er</sup>et, summi Aduocati, quem et medio sublatum omnes honi merita lugent, quibus possimus, christiana*e* pietatis officiis honoremus ac funeralibus obsequiis profecquamur. Nostram denique erga ipsum obseruantiam, et grati animi denotionem honesta aliqua et publica reu&ificione comprobemus. Idcirco pro laudabili ueteris Ecclesiae more uolumus, statuimus et mandamus in omnibus Ecclesiis, aliisque locis sacris Nostrae Dioecesis Auganae id festulo eurari, et a Clericis nostris omnibus obseruari, ut cum huiusmodi Secretum et Mandatum accepereint, statim pro altissime Fata Cae&fara Maiestate sui pientissime defuncta confutet, et solenniter exequias ad septimanam. S. Michaelis Archangeli tribus continuo diebus. hoc est. 1. 2. et 3*to* mensis Iohannes Dioecesis Augana*e* institutas et demandatas in ecclesiis suis celebrent, et semel in eisdem piam ad populum exhortatione habeant, quia glorioissimae recordationis Francisci Imperatoris supradicti anima Deo communibus omnium precibus commendentur, adhuc in super pulsi campanarum, non quidem continuo, sed interpolato per integrum quotidie circa meridiem horam post pulsum salutationis angelicas, idq*ue* per 6*o* septimanas continuas. Et quoniam Apostoli praeceptor uberm cum pro omnibus hominibus, tum pro Regibus et Magistratibus ob&ficationes, orationes et prop&alutiones summo Deo, in cuius manu cor*Regis* est, reuenerentes offerre. Hinc quanto Superius beniguitari et fatur, q*uo*d diuinum Numen saluti ac tranquilitati Regnum opportunitas temporibus, ac uis prop&icere suauiter solet, nec non S. R. I. procurum prouidentissime curae non fin exultantis animi testimonio in acceptis referimus, quod Augustissimo Principi et Parenti Glorioissimo in Regimine ac Solio S. R. Imperii successor sit suffectus Eiusdem Filius Iosephus II. pariter Augustus, alud non supererit, nisi quatenus Dioecesis Nostrae uniuersus Clerus ac populus uota, et preces suas ad misericordissimum Coeli Rectorem effundantur, ut Deus omnium honorum largitor Eadem Augustissimo Principi, ac glorioissimo Imperatori Nostro Iosepho Regimine sui dies largiatur copiosissimos, et immi benedictione coelesti plenos, idque ad maiorem Diuini Nomini gloriam, Ecclesiae orthodoxae exaltationem, et ad S. Romanus Imperii incrementum, nec non ad tranquillum Reipublicae statum et felicem successum Deo protegente feliciter pacificeque evenire iubeat. In quorum omnium fidem praefentes patentes literas typo dari et Sigilli Nostr*e* impulsione muniri, atque per rotam Nostram Dioecesis, etiam in ea firmatis Monasteris utriusque Sexus quamprimum publicari mandavimus. Data in Residentia Nostra Episcopali Augana*e* die 12. Septembris. 1763. L. S.

## XIV.

Haec itaque sunt, quae hac occasione de iure luctum publicum indi&cendi tecum, Beneuole Lector, communicare uolu*i*. Ut benignum te ostendas, multis ex caussis mihi optandum est. Scio enim, quam delicata sint nostri temporibus homines, qui ista legunt ac diuidant. Scio, quan& parum habeat commendationis tenuis hic bellus, ad scriptiorum academicarum gustum compositus. Quam iusta mini uerenda est reprehensio prudentum! Sed, si leui quadam excusatione mihi uti licebit, iterum dicam, quae ad scribendum me impulerunt, omnia. Augustissimus Imperator Franciscus rebus humanis, pro dolor! eruptus est. Hinc magna*e* illae contentiones in patria mea dulcissima coortae. Hinc specimen quoddam diligentiae editorius, hanc mihi sumi materiali*m*. Hinc lucem apexit hic foetus, luce fortasse indignus.


*L. v. B.*

**ULB Halle**  
002 408 120

3







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

**Farbkarte #13**

Centimetres

8

7

6

5

4

3

2

1

0

1

2

3

4

5

6

7

8

1

2

3

4

5

Inches

1766, 2  
Pub. 6. num. 66  
CAROLI LUDOVICI MICHEL

OETTINGENSIS

IVRIVM CVLTORIS

COMMENTATIO

D E

IVRE  
INDICENDI  
LVCTVM PVBLICVM

Q V O

IMPERATOREM MORTVVM

S. R. I. ORDINES

PROSEQVI SOLENT.

ALTORFII

TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.  
A. O. R. MDCCCLXV.

